

habet ipsa res s. substantia cujus est essentia. Deinde huc accedit, quod major nostra colligat à descriptione ad descriptum; ita ut essentia suæ limites non posse habere sit descriptio $\tau\delta$ infiniti actu & quoad essentiam, infinitum verò descriptum. Sic è contrario ob eandem rationem valet hæc sequela: Omnis creatura habet certis terminis circumscriptam essentiam. E. omnis creatura est finita: firma E. manet hæc nostra Major: Cujus essentia nullos agnoscit fines, is ipse, cujus essentia dicitur, est infinitus. Quæ clara videntur. Minor est quidem Scripturæ, unde, nisi rem philosophicè tractandam sumpsissemus, ejus veritatem facilè dilucidam proferre possemus: In præsentia tamen ratione instituti nostri luminis naturæ radio eam illustrare conabimur. Et quidem h. m. Qui tanquam Ens absolutè & intrinsecè necessarium ante omnia tempora & secula extitit & existit sine ullâ dependentiâ ab aliqua causa, ille etiam omninò nullam agnoscit suæ essentia aut perfectionis causam limitantem aut definitivam. Qui autem absque notabili contradictione nullam agnoscere aut recipere potest causam, ille, cum ita non habeat unde finem aut terminum accipiat, s. unde ejus essentia, certi limites figi possint, sed illimitabilis & illimitatæ est essentia entitativè infinitus est & rectè dicitur. Atqui Deus est Ens absolutè & intrinsecè necessarium, quod &c. E. Deus entitativè seu essentialiter est infinitus. Major hujus prosyllogismi quoniam firmo stat talo, stabilimento ulteriori non indiget. Minor confirmatur à progressu causarum secundarum tanquam dependentium ad primam tanquam independentem, quæ Aristoteli vocatur æternum movens, & L. VI. de Mundo: πάντων ἀστίθων ὧν omnium rerum causa existens dicitur. Quando autem ad omnium primam pervenimus, illa ex intrinseca sua natura non dependeat ab alia priori vel superiori causâ necesse est. Aliàs enim non esset prima & independens. Deinde etiam Minorem cum Amplissimo & Excellentissimo Dn. Præside in laudatâ Palestrâ disput. cap. XII. de Neceß. & Conting. eundem quidem in sensum, paulò aliis tamen formalibus sic conceptis probare possem: Qui ab æterno non potuit non esse, & jam non potest non esse ille est Ens (absolutè scil. & intrinsecè) necessarium. Atqui Deus &c. E. Deus